Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tui cadent in corde maris. in die
ruine tue. A sonitu clamoris gu-
bernatorum tuorum conturbabuntur classes.
et descendent de navibus suis omnes
qui tenebant remum. Naute et uni-
versi gubernatores maris in terra
stabunt. et eiulabunt super te vo-
ce magna. et clamabunt amare.
et superiacient pulverem capitibus su-
is. et cinere conspergentur. et radent su-
per te calvitium. et accingentur cili-
ciis. et plorabunt te in amaritudine
anime. ploratu amarissimo. et
assument super te carmen lugubre.
et plangent te. Que est ut tyrus.
que obmutuit in medio maris. que
in exitu negotiationum tuarum de ma-
ri. implesti populos multos. in mul-
titudine divitiarum tuarum et populorum
tuorum ditasti reges terre. et nunc contri-
ta es a mari in profundis aquarum.
Opes tue et omnis multitudo tua
que erat in medio tui ceciderunt.
universi habitatores insularum obstu-
puerunt super te. et reges earum omnes
tempestate perculsi mutaverunt vul-
tus. Negotiatores populorum sibilave-
runt super te. Ad nichilum deducta
es. et non eris usque in perpetuum.

Cap. xxviii.

Et factus est sermo domini ad me dicens.
Fili hominis. dic princi-
pi tyri. Hec dicit dominus deus.
Eo quod elevatum est cor tuum. et
dixisti. deus ego sum. et in cathe-
dra dei sedi in corde maris. cum
sis homo et non deus. et dedisti cor
tuum quasi cor dei. Ecce sapientior es
tu daniele. omne secretum non est
absconditum a te. In sapientia tua et
prudentia tua fecisti tibi fortitudinem.
et acquisisti tibi aurum et argentum
in thesauris tuis. In multitudine
sapientie tue. et in negotiatione tua.
multiplicasti tibi fortitudinem. et
elevatum est cor tuum in robore tuo.
Propterea hec dicit dominus deus. Eo
quod elevatum est cor tuum quasi cor dei.
Idcirco ecce ego adducam super te
alienos robustissimos gentium.
et nudabunt gladios suos super
pulchritudinem sapientie tue.
et polluent decorem tuum. Interfi-
cient et detrahent te. et morieris in
interitu occisorum in corde maris. Numquid
dicens loqueris. deus ego sum co-
ram interficientibus te. cum sis homo et
non deus. In manu occidentium te
morte incircumcisorum morieris. in
manu alienorum. quia ego locutus
sum ait dominus deus. Et factus est
sermo domini ad me dicens. Fili
hominis. Leva planctum super regem
tyri. et dices ei. Hec dicit dominus
deus. Tu signaculum similitudinis.
plenus sapientia. perfectus decore.
in deliciis paradysi dei fuisti. Omnis
lapis preciosus operimentum tuum. Sar-
dius. topazius. iaspis. crisolitus.
onyx. et berillus. saphyrus. carbunculus.
et smaragdus. aurum opus deco-
ris tui. et foramina tua in die qua
conditus es preparata sunt. Tu
cherub extentus. et protegens. et po-
sui te in monte sancto dei. in medio
lapidum ignitorum ambulasti. per-
fectus in viis tuis. a die conditionis
tue donec inventa est iniquitas
in te. In multitudine negotiationis
tue repleta sunt interiora tua in-
iquitate. et peccasti. et eieci te de mon-
te sancto dei. et perdidi te o cherub
protegens de medio lapidum igni-
torum. Et elevatum est cor tuum in decore